10

DISPUTATIO MEDICA

DE

TYPHO.

AUCTORE ANDREA CRAWFORD.

Febris Typhodes saepe corpus humanum invadit, et haud raro exitium infert ; exigit igitur summam attentionem Medicorum. Huic per omnes aetatis gradus obnoxii sunt homines. Varias induens formas, et animi facultates, et corporis vires, quam citissime profligat.

Cullenus eam ita definivit : "Morbus "contagiosus ; calor parum auctus ; pulsus "parvus, debilis, plerumque frequens ; urina

A

Edinburgh
1815

"parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae."

Ex gradu malignitatis, quem exhibent symptomata, vel Mitior vel Gravior denominatur: illa febris nervosa est languida; haec malignam, putridam, carceris, et nosocomiorum, febres complectitur.

Primo Mitioris formam et symptomata, deinde Gravioris, animadvertamus.

TYPHUS MITIOR.

Primus hujus morbi accessus saepe vix percipitur; aeger fortasse nihil, praeter debilitatem insolitam, incommodi sentit.

Algores leves, caloribus alternantibus, aegro inquieto et impatienti, morbum inchoantem indicant; quos comitantur anxietas, animi depressio, constrictionis circa praecordia sensus, vertigo, capitis et lumborum do-

lor, nausea cum materiae insipidae interdum vomitione, urina pallida, lingua albida, sed nulla fere sitis.

Symptomata haec sub noctem ingravescunt, calore aucto, pulsu concitato sed debili, spiritu difficili. Occipitis dolorem aeger sentit obtusum, cum algore, quod saepissime leve sequitur delirium ; et plerumque, etsi adstantibus aliter videatur, noctem agit insomnis.

Die septimo vel octavo, vertigo, capitis dolor, et anxietas, magnopere augentur, viribus adeo prostratis, ut corpore erecto syncope invadat. Pulsus fit debilis et frequens, nonnunquam intermittens. Fronte, et partibus manuum aversis, frigidi oriuntur sudores, palmis genisque eodem tempore candentibus. Lingua aret, sordibus fuscis velata. Aeger delirans mussitat.

Die circiter decimo sive duodecimo, partes saepe madent extremae, sudore copioso, viscido et frigido, qui, diarrhoea comitatus, vires aegri valde debilitat. Nunc pedes ma-

nusque frigescunt; ungues sunt pallidi et lividi; pulsus celerrimus ac supra modum debilis. Tali afficitur stupore morbo laborans, ut vix audiendi et videndi permanere illi sensus videantur. Coma sequitur; faeces, aegro inscio, dejiciuntur; vultus collabitur; tremiscunt labia, lingua et manus. Denique tendinum subsultus, et convulsiones, mortem non longe abesse praenunciant.

Hujus tamen morbi saepe est exitus felicior. Symptomata, diem circiter decimum quartum vel decimum octavum, mitiora fiunt. Calor minuitur; arteriarum pulsus plenior, lingua humidior, et urina turbida, fiunt; sudore totum corpus miti perfunditur; cibus appetitur.

TYPHUS GRAVIOR.

Supervenit hic morbus vulgo multo celerius, signisque gravioribus; et, si in ipsis incunabilis non extinguatur, exitiosus esse potest.

Rigores aegrum magis exagitant; calores sunt acriores et magis diutini; molestiores vertigo, nausea, vomitus, et capitis dolor. Pulsus est durus, tenuis, et frequens; viriumque prostratio permagna, dolore obtuso totum corpus pervadente. Oculi tumidi, graves, segnes, et saepe nonnihil inflammati, videntur. Lingua, morbo ineunte, alba est; progrediente, fit arida et fusca, cum siti permagna. Calor circa stomachum gravatum et dolentem sentitur; ac materia biliosa saepe evomitur. Respiratio difficilis frequenti suspirio interrumpitur. Carotides temporalesque arteriae subsultant, comitante

aurium tinnitu, quod delirium veniens praesignat.

Febre progrediente, signa graviora omnia deveniunt ; pulsus celerior, debilitas major. Pectus pondere insolito opprimitur, multa cum anxietate. Lingua, fauces, labia, sorde fusca aut nigra inquinantur ; ac sitis fit urgentissima.

Mox sese ostendunt signa putredinem *, vel magnam debilitatem, quae indicant. Urina sedimentum prope nigrum, ac valde foetidum, deponit. Spiritus graviter olet. Faeces, virides vel nigrae, foetorem emittunt molestissimum, et haud tolerandum. Petechiae sese ostendunt. Aphthae in faucibus apparent. Gingivis, naribus, aliisque corporis partibus, haemorrhagiae exsudant. Subsidet pulsus ; faeces, urina, et lachrymae, aegro inscio, dejiciuntur. Partes extremae friges-

* Disputatum est an fluida, vita perstante, putredini accedant. Haec autem quaestio, medicinam facienti, parvi omnino momenti est ; symptomata enim, cum a putredine, tum a debilitate, orta, eandem prorsus medendi rationem postulant.

cunt, lividum assumentes colorem. Singultus demum, tremor, et tendinum subsultus, die decimo quarto vel decimo octavo, mortem venientem praedicunt.

Haec tamen febris non semper est lethifera. Exitum feliciorem praecedunt stuporis discessus, humor linguae redditus, saliva copiose secreta, urina turbida, necnon aliquando diarrhoea levis, petechiae colorem assumentes rutiliorem, calor diminutus, et humor calidus per totum aeque corpus diffusus.

DE CAUSIS REMOTIS.

Hae sunt vel Praedisponentes vel Excitantes.

Praedisponentes.---Corpus humanum, uno quam alio statu, febri suscipiendae esse magis idoneum, atque multa esse quae hunc

statum inducere possint, quis dubitet? Status tamen ipse quid sit, haud bene intelligitur. Hunc e debilitate, seu irritabilitate systematis constare, Medici putavere. Quicquid, igitur, vim sanguinis minuendo, debilitat, seu nervorum irritabilitatem auget, corpus febri suscipiendae obnoxium efficere existimatur.

Debilitare, vim sanguinis minuendo, videntur diaeta tenuis, affectus animi deprimentes, quales sunt timor et dolor, insomnium, labor vel corporis vel animi gravis. Haec omnia causae Typhi *praedisponentes* rite sunt habenda. Adolescentes magis quam seniores Typho sunt proclives, quod illis nervorum irritabilitas est major.

Qui, autem, multum causis febrium excitantibus exponuntur, habitum quemdam vim pestiferam resistendi acquirere videntur; sic Medici, ac febrientibus qui ministrant, febrem raro suscipiunt; atque Reï, cum e carcere, quo effluviis sunt maxime pestiferis expositi, in forum juridicum prolati fuere, fe-

brem carceris, ipsis tuto evadentibus, aliis impertivere.

Excitantes. — Harum plurimae Medicis memoratae sunt: ut frigus, intemperantia, status quidam aëris, exhalationes putridae, sive animalibus, sive vegetabilibus, exortae, corporum humanorum effluvia angustiis coercita, contagio, et alia quaedam.

Frigus, forsitan, *intemperantia*, et *quidam aëris status*, praedisponentes, potius quam excitantes, causae haberi debent, cum potius corpus causis excitantibus magis obnoxium reddant, quam febrem ipsam excitent.

Exhalationes putridae.—Has febres malignas et putridas gignere, Medicis multis notatum est; nonnullis tamen hoc dubium est.

Corporum humanorum effluvia.—Haec effluvia, vivis corporibus exorta, et eodem loco diu retenta, nec aëre commista ac diffusa, virulentiam pestiferam acquirere inveniuntur. Si hoc statu corporibus applicentur humanis, febri pessimae et maxime malignae originem dare agnoscuntur.

Contagio.—Quidam dubitaverunt Medici, an Typhus contagione propagetur, at hoc plane docet experientia. Multis in exemplis contagionis vestigia clare indagata sunt. In aliis etiam, etsi non revera probatur adfuisse contagionem, verisimile tamen est, hanc morbi esse causam ; talis namque videtur ejus natura, ut non solum extemplo, ex morbo affecto sana valetudine gaudenti, communicari possit ; sed etiam multos dies gestari, vestibus involuta, priusquam se ullo effectu exhibeat.

DE CAUSA PROXIMA.

De febrium proxima causa varias in sententias discesserunt Medici ; nec in eandem adhuc consenserunt. Sequentes hac de re theoriae sunt praecipuae :

Primo.—Materiem morbidam, vel in sanguinem transvehi, vel ibi generari.

Secundo.—In sanguine adesse lentorem, quamobrem vasis in extremis stagnet.

Tertio.—Vim imminutam esse cerebri, atque igitur functiones omnes, ac praecipue vasorum extremorum actionem, ita impeditas.

Materia morbida. — Hypothesi objicitur huic, experientiam mutationem talem fluidorum, in omnibus exemplis, non satis probare, qualem hac oriri materia ejus vindices in animis concipiunt; et, si hoc concedatur, causam excitantem, potius quam proximam, materiam morbidam existimari oportet.

Lentor.—Sanguinis lentoris objectum est hypothesi, quod, febris ante accessionem, talem sanguinis lentorem adesse, probatione non confirmetur; ac, praeterea, haud verisimile sit, lentorem tam celeriter produci posse, quam quod necesse esset paroxysmum improvisum et repentinum ut efficiat, qualis febrem inchoantem saepissime notat.

Vasorum extremorum spasmus.—Spasmus hujusmodi, excretionibus suppressis, et, etiam stadio calido perstante, cute se contrahente, adesse videtur; FORDYCE tamen ait hunc febris, non causam, sed effectum esse, febris quoad existat durare, et hac finita removeri. Spasmi secundum hypothesin, stadium febris frigidum calidi, omniumque phaenomenorum quae eum comitantur, causa est habendum; igiturque ut spasmus causa est stadii frigidi, paroxysmi quoque totius causa haberi oportet. Sed quomodo, quaeritur, stadium frigidum calidi causa existimandum est, quoniam aliud alii, nequaquam rationem durationis semper eandem, habet; ac, praeterea, quibusdam in febribus, stadium frigidum penitus abesse visum est.

Has omnes, igitur, hypotheses, de febrium causa proxima, difficultatibus esse magnis implicitas, nec unam satis adhuc stabilitam esse existimandam, plane videtur; et, lucubrationes tam ingeniosas finem desideratam non consecutas, certe dolendum est.

DE PROGNOSI.

Signis benignis et malignis rite observatis, prognosin generalem adipiscamur, quamvis haud prorsus certam; nam saepenumero aeger, signis exitum felicem promittentibus, moritur; et aliquando, necem minantibus, spe omni remota, convalescit.

Symptomata haec sunt benigna: vix ullum delirium; calor decrescens; pulsus firmior et tardior; lingua humidior; cutis leni sudore humefacta; appetitus cibi rediens. Urina sedimentum deponens; alvus laxior, faecibus colorem naturalem induentibus. Petechiae, si adsint, rutiliores; aphtharum absentia; glandularum parotidarum vel maxillarum suppuratio; et circa nasum labiaque scabies.

Haec omnia bona spe respiciunt Medici, velut exitum morbi felicem augurantia.

Signa, contra, exitum quae minantur fatalem, habenda sunt sequentia: delirium cito superveniens, praesertim si diu maneat; pulsus debilis; insomnium; magna musculorum debilitas. Quae sanguinem ad caput proferri notant, quales sunt capitis dolor, rubor faciei et oculorum, arteriarum carotidarum et temporalium subsultus, et tinnitus aurium. Deglutitio difficilis; purgationes sudoresque profusae; partes extremae frigescentes; vultus collapsus et pallidus; oculi graves et languidi. Petechiae lividae; vibices; faeces urinaque foetidae, aegro inscio dejectae; haemorrhagiae; singultus; et subsultus tendinum.

Singula haec signa vel magnam debilitatem, vel ad putredinem proclivitatem, vel sanguinis in capite congestionem, indicant, omnia quae exitum infelicem minantur, et remedia maxime efficacia statim postulant.

DE TYPHI CONTAGIONE.

De contagionis natura.—Multi quamvis sint conati contagionis naturam physicam, constitutionemque chemicam, indagare, adhuc tamen latent. Sive in aëre suspendatur mechanice, sive chemice dissolvatur, ignoramus. Materiem esse, corporibus febrientium natam ac emissam, atque vi febris ejusdem, illis quorum corporibus applicetur, impertiendi praeditam, (modo non origine nimis longe removeatur), tantum compertum habemus.

De contagionis effectus praeveniendo.—Pro certo habendum sit, effectus noxios, a contagione corpori humano applicata orientes, diminui, si non prorsus prohiberi, posse. Hoc fieri potest,

Primo, Contagionis accumulationem prohibendo.

Secundo, Corpora, eorum qui contagioni necessario objiciuntur, a viribus ejus conservando.

Tertio, Has vires directe extinguere conando.

1. *Contagionis accumulationem prohibendo.*—Generationi ejus quicquid favet, accumulationi quoque favere oportet. Cum aër impurus, igitur, et immunditia contagionis generationi maxime faveant, aditum esse aëris liberum, et minime obstructum, oportet; haud plures, quam res postulant, aegri cubiculum intrare; atque febre affectum, lavationibus, ac lintea saepe mutando, mundum servari. Necesse est quoque, materias omnes excrementitias quam citissime amoveri.

2. *Corpora a contagionis viribus conservando.*—Qui contagioni necessario objiciuntur, quam maxime, sibi a causis febrium praedisponentibus praecavere, et aëra ex aegri pulmonibus expiratum, ac vaporem ex corpore ejus, et praesertim quibuscunque evacuationibus, orientem, vitare debent. Prae-

terea, lavationes frigidae, aut potius calidae, vinum, aliaque stimulantia, aromatica, ac cortex Peruvianus laudata sunt Medicis.

3. *Vires contagionis extinguere conando.*— In hunc finem liberum in cubiculo esse aëris perflatum oportet: effici hoc possit per fenestras, ac fores, et ignem, qui non cubiculum nimis calefaciat, sed, partem aëris absumendo, renovationem pariat.

Camphora, myrrha, pulveres fulminantes, ac multa praeterea, ad contagionem extinguendam laudata sunt. Multa praesertim acida in hunc finem feliciter exhibentur. Acetosum, quamvis minus sit aliis efficax, in cubiculo, et super lectum et stragula, sparsum, gratissimum saepe aegro, ac utile est.

Acida mineralia, statu gaseo, omnium quae ad vires contagionis destruendas adhibita sunt, optima et forsan efficacissima sunt existimanda. Sulphuricum, quamvis contagionis perdat vires, ob effectus ejus deleterios, adhiberi non debet, nisi ad vestes et suppellectilia purganda.

Vapores acidi Nitrosi tuto respirantur, ideoque illis Muriatici vel Oxy-muriatici, qui non sine incommodo in pulmones accipiuntur, sunt praeferendi. His tamen, ad loca, quae non inire necesse est, purganda, nihil uti nos vetat.

Extremi ardores et frigora contagionem perdunt efficacissime; at, corporibus solum inanimis, applicari possunt.

DE RATIONE MEDENDI.

In Typho curando Medici, morbum primo praecidere, deinde, si hoc fieri non possit, symptomata leviora reddere, student.

1. Morbum praecidere.—Huic accommodata sunt, affusiones aquae frigidae, emetica, atque cathartica.

Affusio frigida.—Si, ante diem quartum aut quintum morbi elapsum, aqua frigida ae-

gro affundatur, febris saepe in ipsis incunabilis interimatur; hunc effectum affusio interdum edit, etiam sexto aut septimo die peracto; et, si tali lavatione febris non tunc praecidatur, signa spes leviora faciendi, nos hac utentes vix frustrabitur. Pulsationes arteriarum sic retardantur; inducitur levis perspiratio; aeger reficitur et dormit. Frigida longiores quam tepida, salsa quam pura, effectus edere reperitur. Optime adhibeatur affusio, cum exacerbatio perficiatur, aut paroxysmus cum inclinare incipiat.

Doctor CURRIE, in frigida utenda aqua, suadet, ut aeger tantum affundatur, si nullus algoris sit sensus; si calor sit praeter naturam; et si sudore profuso corpus haud perfundatur. Illi idonea haudquaquam videtur, si sensus frigoris adsit aegro, quamvis calorem praeter naturam thermometrum indicet; nec,cum thermometrum calorem naturali minorem indicet, quamvis nullus sit sensus frigoris.

Doctor JACKSON affusionem magno esse usui,

calore aegri etiam infra naturam, censet; praecedere autem, in hujusmodi exemplis, praeparationem certam oportere, eum in cubiculum calidum removendo, in balneo tepido immergendo, et cutem, sapone ac aqua calida, perluendo, atque strigilibus et mantilibus fervidis perfricando, ut calor augeatur; et, si adsit nausea, emeticum adhibendo; catharticum, si alvus sit astricta; ac postremo, si appareant signa sanguinem ad organa interiora irrumpere, venaesectione.

Emetica.—Ad febrem praecidendam, tametsi minus forsan efficacia sint, quam affusio sive tepida sive frigida, saepe tamen emetica hunc edunt effectum, praesertim si adhibeantur simulac contagio in corpore sese patefaciat. Cum aeger, igitur, aut nolit se frigidae affusioni subjicere, vel usum ejus alia vetent, emeticum adhiberi oportet. Signa, quae horum usum esse idoneum notant, haec sunt: nausea, materiae insipidae expuitio, linguae sordes, atque cutis arida et calida. Signa, contra, quae usum haud idoneum indi-

cant, sunt magna debilitas, vomitio frequens et importuna, sanguinis in caput irruptio, atque tussis et dyspnoea, nisi venaesectio fuerit praegressa.

Cathartica.—Haec maximo esse usui nihil dubium; enimvero intestinorum perturbationes febrem haud raro excitare putatum est; ut evacuentur, igitur, vel emeticis vel catharticis, maxime oportet. Atque, catharticis licet solis ne fidamus ad febrem praecidendam, aliis tamen in hunc finem adhibitis, auxilio haud parvo esse possint.

Adhiberi non solum febre incipiente, sed etiam omni gradu progredientis, debent. Signa, magnum quae notant periculum, et exitum infelicem minantur, saepe usu eorum magnopere remittuntur. Ventriculus oppressus ita levatur; calor et inquietudo sedantur; somnusque saepe inducitur.

2. Symptomata leviora reddere.—In hunc finem adhibita sunt opium, vinum, cortex Peruvianus, et quaeque refrigerent ac diluant.

Opium.—Si perite administretur opium, optimos, si non, pessimos edat effectus. Caute igitur adhibendum est. Si, calore magno et cute arida, administretur, calorem auget, et magis inquietum aegrum reddit: signis igitur aliis, hoc statu, opium postulantibus, calor prius temperari, et levis perspiratio, si possit, excitari debet, quam opium adhibeatur; hoc atque effici possit, haustu vel affusione, sive tepida sive frigida. Vix utendum opium, et caute, cum ulla sit sanguinis in caput propensio.

Signa, opium quae postulant, in Typho sunt, delirium, insomnium, diarrhoea, tendinumque subsultus. Si delirium tamen augeat, quod saepe fit, dosin minui oportet, vel omnino non adhiberi; ac perraro convenit, primis morbi diebus, nec stupore gravi accedente.

Vinum.—Omnium ad vires aegri sustinendas quae sunt usitata, hoc longe optimum repertum fuit; et gratum saepe est, cum nihil aliud appetitur. Signa vinum postulantia

haec sunt : virium prostratio, pulsus debilis, coma, nervorum vellicatio. Porro utile saepe invenitur in delirio, modo nequid sanguinem in caput tendere signet.

Si ex usu vini pulsus fiat plenior, et si coma decedat, partibus extremis calefactis, tunc readhibendum est, quandocunque redeant signa supra memorata. At, facie rubescente, corporis calorem si augeat, inquietudinem et delirium gignens, oportet vel ex toto desistere, vel quantitatem saltem diminuere.

Cortex Peruvianus.—Hic, proclivitati ad putredinem ut obstet, ac aegri vires reficiat, administratus est ; vinum tamen, et magis valet, et magis ei gratum est.

Refrigerantia.—Haec, ut calorem minuant, et sitim levent, adhibentur. Horum optima sunt acida, praesertim vegetabilia. Sales neutrales bona esse refrigerantia, experientia docet, ac multum perspirationi cutaneae favere. *Haustus salini effervescentes* contra nauseam et vomitum multum quoque valent.

Diluentia.—Haec secretionibus urinae ac

perspirationis valde favere reperiuntur ; acritudinem porro quamvis intestinorum corrigunt. Horum optimum est aqua, vel tepida, vel frigida. Haec in ventriculum recepta non solum diluens est, sed etiam utile remedium tonicum ; effectus equidem, aquae frigidae exhaustae, similes illis, super cutem affusa quos edit, videntur, et, uno ac altero modo, eadem praecavere fortasse nos oportet.

Liber aëris aditus et mundities, sine quibus alia parum fortasse juvent, debilitati vel putredini, prae omnibus aliis, obstant. Aegro qui ministrant, igitur, huic summa cura studere debent.

Moeror ac solicitudo magnae debilitatis sunt causae ; animum aegri quapropter bona spe recreare debemus, atque omnia, quoad possumus, quae cogitationes lugubres gignant, removere. Ac, cum convalescere inceperit, ab omni et animi et corporis labore, ne relabatur, praecavere sibi aegrum oportet.

FINIS.